ſingulas, & à ſingulis ad univerſas. Sunt enim velut annuli in catenâ aureâ *Rom.* 8. 29. 30. Intelligenda igitur eſt regula de connexione, ita ut unâ poſitâ ponantur reliquæ: non verò de modo.

IV. *Poſita remiſſione peccatorum ponitur imputatio juſtitiæ Chriſti.* Nam juſtificatio noſtri coram Deo conſtat his duobus actibus, & quaſi partibus, ratione tantùm, non re aut ſubjecto differentibus, reſpectu differentium terminorum, à quo & ad quem: qualibus conſtare ſolent actiones, quæ fiunt contrariorum immediatorum ἀφαιρέσει καὶ θέσει, quæque cùm reipſa & ſubjecto ſint una actio, tamen diſtinguuntur τῷ λόγῳ, & reſpectu terminorum. v.g. dealbatio parietis fit pulſione nigredinis, & aſperſione albedinis: ſimul tamen, & eadem actione, terminis differentibus conſtante. Sic repletio vaſis fit pulſione vacui, & infuſione liquoris: & veſtitura, qua veſtitur corpus, fit tegendo nuditatem, & applicando veſtem. Eadem tamen actione fit utrumque. Sic igitur in juſtificatione (in qua nos tegimur veſte purpurea ſangvinis Chriſti) concurrunt remiſſio peccatorum, & imputatio juſtitiæ, non ut diverſæ actiones, ſed ut actus terminis differentes. Nam Deus remittendo nobis peccata propter juſtitiam

Chriſti,